Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift

utinam et ipsorum saluti prosit · hoc opere demonstrare suscepimus · errorem
uel temeritatem eorum qui contra euangelii quattuor libros quos euange
listae quattuor singulos conscripserunt satis argutas criminati
ones se proferre arbitrantur · Quod ut fiat · quantum sibi aduer
sentur idem scriptores · quattuor ostendendum est · hoc enim solent
quasi palmam suae uanitatis obicere · quod ipsi euangelistae inter se
ipsos dissentiant · Sed illud prius discutiendum est quod solet nonnullos
mouere · cur ipse dominus nichil scripserit · ut aliis de illo scribentibus
necesse sit credere · Hoc enim dicunt illi uel maxime pagani
qui dominum ipsum ihesum christum culpare aut blasphemare non au
dent · eique tribuunt excellentissimam sapientiam · sed tamquam
homini · discipulos uero eius dicunt magistro suo amplius
tribuisse quam erat · ut eum filium dei dicerent · et uerbum dei
per quod facta sunt omnia · et ipsum ac deum patrem esse unum deum · ac si qua
similia sunt in apostolicis litteris · quibus eum cum patre unum deum colen
dum esse didicimus · honorandum enim tamquam sapientissimum
uirum putant · colendum autem tamquam deum negant · Cum ergo quae
runt quare ipse non scripserit · uidentur parati fuisse hoc de illo
credere quod ipse de se scripsisset · non quod alii de illo pro suo
arbitrio praedicassent · A quibus quaero · cur de quibusdam nobi
lissimis phylosophis suis hoc crediderint · quod de illis eorum discipuli
scriptum memoriae reliquerunt · cum de se ipsis nichil scripsissent · Nam
pytagoras quo in illa contemplatiua uirtute nichil tunc habuit
graecia clarius · non tantum de se sed nec de ulla re aliquid scripsisse
perhibetur · Socrates autem quem rursus in actiua qua mores infor
mantur omnibus praetulerunt · ita ut testimonia quoque dei sui apol
linis omnium sapientissimum esse non taceant · esopi fabulas pau
culis uersibus persecutus · et uerba et numeros suos adhibens rebus
alterius · usque adeo nichil scribere uoluit · ut hoc se coactum imperio